



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Easdem personas distingui originibus censuit Bonauentura. cap. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

essentia, quæ idē est realiter cum paternitate, sub ratione formali paternitatis, sub qua filio eam non communicavit. De quo etiam infra disp. 163. dicemus.

CAPVT III.

Personas diuinas constitui, & distingui proprietatibus absolutis, senserunt Ioannes de Ripis, & Scotus.

*Ioā. de Ripis,
Scotus.*

Secunda opinio fuit Ioannis de Ripis, quam refert, & vt probabilem amplectitur Scotus in primum d. 26. qu. 1. §. Tertia opinio, nempe diuinas personas constitui, & distingui proprietatibus absolutis. In qua sententia primū aduersantur Gregorio & P. ap. positio, & cum cæteris Scholasticis conueniunt, admittens in Deo constitutionem ex aliquo communi, & proprietate peculiari: ab eis tamen dissentit, quia existimant proprium principium constitutens, & determinans essentiam ad esse personæ, esse absolutam aliquam proprietatem: probant vero multis argumentis, quæ cap. ultimo referemus.

Canariensis

Hæc sententia in simulatur erroris à Canariensis in hunc ar. 2. parte commentarij, & ab aliis recentioribus, atque ex doctrina Patrum perspicue potest refutari. In primis August. passim in lib. 5. de Trinit. ca. 2. de patre & filio sic loquitur. *Quidquid ergo ad se dicuntur, non dicitur alter sine altero.* Quod si filius esset talis persona proprietate absoluta, iam diceretur filius aliquid absolutum ad se, quod non diceretur pater, & de patre eodem modo: quare iam alter sine altero diceretur aliquid esse, quod esset absolutum. Et 7. de Trin. ca. ult. illud Ioan. 1. 0. *Ego & pater vnum sumus*, ita explicat, vt vnum referat ad essentiam, sumus ad relationes. Et lib. 9. c. 1. *Credamus* (inquit) *patrem, filium, & spiritum sanctum vnum esse Deum, creatorem vniuersæ creaturæ, atque rectorum, neque patrem esse filium, neque spiritum sanctum, vel patrem esse, vel filium: sed Trinitatem ad inuicem relationum personarum, & vnitatem æqualis essentia.*

Ambros.

Idem dicit Ambros. lib. 1. de fide ad Gratianum c. 1. & Hieron. in expositione symboli ad Damasum, vbi ait tres personas proprietatibus distingui, ex antecedentibus vero, & sequentibus constat, proprietates ab Hieronymo dici relationes. Boethius lib. de Trinit. versus finem ait, relatione multiplicari Trinitatē. Id ipsum eisdem fere verbis expressit Ansel. lib. de Incarnat. verb. c. 3. de processione spiritus sanctus ca. 1. vbi ita scribit. *Hæc itaque sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus dici non possint de se inuicem, sed alij sint ad inuicem, quia prædicti duobus modis est Deus de Deo (sc. generatione & processione) quod totum dici potest relatio: ergo ex eius sententia sola relatio est causa pluralitatis, ac proinde distinctionis.* Damasc. 1. de fide c. 10. de spiritu S. inquit. *Omnia habens, quæ pater habet & filius, excepta ingenti & geniti proprietate.* Et cap. 1. 1. *Vnum quippe Deum agnoscimus in solis autem proprietatibus, nimirum paternitatis filiationis, & processionis, atque quantum ad causam, & ea quæ ad causam proficiuntur, ac persona perfectionem, hoc est existendi modum, discrimen aduertimus.* Ergo censet Damascenus solis relationibus, & solo ordine causæ, & causari esse in Deo distinctionem, eamque appellat perfectionem personæ, & modum existendi illius.

Damasceus.

Conc. Tolos.

Denique in Concilio Toletano vi. in confessione fidei sic dicitur. *Hæc ergo sancta Trinitas, quæ v-*

ARTIC. II.

nus est Deus, quæ neque recedit à numero, neque copitur numero: in relatione enim personarum certum numerus, &c. Et Ioannes Latinus Theologus in Concilio Florentino sess. 19. aliquantulum ante medium, de diuina substantia sic loquitur. *Va vñ in nullo alio differat: nisi quia pater est pater, & filius. Et in fine sessionis cum dixit hypostasies ex essentia & proprietate constare, ita vt persona nihil aliud sit, nisi substantia & proprietates, addit subinde. Quæ quidem substantia & proprietates, licet vnum re ipsa sint, & per suas proprietates re inter se differant, (scilicet hypostasies) quandoquidem ad aliquid sunt, ipsas tamen secundum substantiam Deum vnum esse sentimus.* Vbi eo inquit personas differre re ipsa quod ad aliquid sunt: nullas igitur agnoscit proprietates absolutas re ipsa distinctas.

Ex quibus omnibus hoc saltem mea quidem sententia colligere licet, Ioannē de Ripis & Scotum manifeste lapsos fuisse, quod asserant distinctionem inter diuinas personas ex proprietatibus absolutis oriri, cum SS. Patres vno ore fateantur ex sola relatione desumi. At vero de constitutione non ita plane damari potest prædicta sententia: de hac enim non loquuntur patres, tamen Ioannes Theologus in Concilio Florentino sess. 19. non solum dixerit, personas distingui proprietatibus, quæ sunt ad aliquid; verum etiā eisdem proprietatibus & essentia constare, quod perinde est atque constitui. Non est igitur tam manifestum in doctrina Patrum, personas diuinas constitui relationibus, quam est relationibus realiter distingui, eo præsertim quod non sit idem principium constitutens & distinguens in vniuersis in diuinis personis, vt disputat. 147. cap. 7. secundum probabiliorē sententiam dictum est.

Ceterum, quod attinet ad constitutionem, hæc sententia ratione efficacissima confutabitur infra cap. 5. vbi verior sententia confirmanda est. Nunc autem certum sit ex sententia Patrum, personas diuinas sola relatione posse distingui, id quod ea quoque ratione probatur, quæ disp. 147. ca. 6. monstrauimus, spiritum sanctum à filio non fore distinguendum, nisi ab eo procederet: eo quod sola relatiua oppositio in diuinis causis esse possit distinctionis.

CAPVT IV.

Easdem personas distingui originibus, senserunt Bonauentura.

Alij propius ad veritatem accedentes dixerunt, personas diuinas constitui relatiuis proprietatibus, non quatenus solum continent ordinem vnius ad alterum, sed quatenus sunt originis, & trinumque enim in conceptu proprietatis locuti putauit Bonau. in 1. d. 26. q. 2. Hæc ratione docent, non patrem constitui generatione actiua, non filiatione, & spiritum sanctum processione, vt est emanatio. Idem de distinctione sentiunt, nam si originis distinguunt, illæ saltem, quæ oppositæ sunt, iuxta notata disp. 147. c. 4. & 6. Hæc sententia tribuitur Bonau. dist. illa 127. q. 7. ille tamen de sola distinctione videtur locutus. Probari potest prædicta opinio hoc modo, primum. Quotiescumque in aliqua re hoc reperitur, alterum prius, alterum posterius duo reperitur, alterum prius, & distingui substantiales res illa nequit constitui, & distingui substantiales per id, quod posterius est: sed in quavis persona

diuina origo est prior relatione: ergo persona non potest constitui, & distingui substantialiter per relationem, sed per originem. Præterea, cum est origo, intelligitur persona: nam si de actua loquimur, non potest esse sine persona producente; si de passua, non sine persona producta: cum autem est origo non intelligitur simul relatio, sed posterius: ergo illa aduenit personæ constitutæ & productæ: quod vero aduenit rei constitutæ non potest ipsam constituere substantialiter: ergo nec relatio potest constituere personam.

Hinc sententiam refellit S. Th. & Caietan. in hoc art. Canarien. 3. parte comment. & recentiores Thomista, & Durand. in 1. dist. 26. q. 1. num. 13. & 14. Præmittit autem Canarien. relationem, & originem in diuinis re ipsa idem omnino esse, & sola nostra cogitatione distingui: eadem enim relatio concepta ut via & productio personæ, siue actiue siue passiue, dicitur origo, habetque conceptum & rationem actus secundi: eadem vero considerata ut forma personæ (ut aiunt) in facto esse, est relatio: eadem igitur res consideratur ut generatio, & sic est origo, & ut ratio geniti, & ita est relatio, & sic de aliis. Hoc posito, probandum est, originem non esse principium constituens, aut distinguens sub ratione propria originis, nostro modo intelligendi; hæc namque constitutio est conceptum in nostra cogitatione, ac proinde solum inquirimus rationem constituentis principij, ut à nobis apprehenditur: nam re ipsa idem omnino est origo & relatio: quoniam hæc duo sunt idem omnino cum persona: nostro igitur more intelligendi originem non esse principium constituens, & distinguens probat S. Th. & Durand. hoc modo. Omne principium seu forma constituens, & distinguens rem aliquam, debet concipi à nobis per modum formæ in facto esse inherens rei, quam constituit, & distinguit: cum enim de esse rei, debet considerari per modum formæ, non per modum viæ ut inherens in facto esse, non veluti viæ & productio rei. Nam aliud est rem esse, aliud produci. Res autem dicitur esse, cum iam constituitur, & distinguitur: at origo formaliter non concipitur ut forma inherens in facto esse, sed ut viæ & productio: ergo in nostro conceptu non potest esse principium constituens & distinguens personam.

Hæc ratio de origine passua recte probat, eo quod origo passua est veluti viæ, & fieri personæ productæ: quare nequit esse illius forma in facto esse eam constituens, & distinguens ab aliis. Cum enim intelligimus personam vel rem aliquam fieri, seu produci, nondum intelligimus esse: aliud enim formaliter est produci, quam esse: at persona formaliter constituitur aliquo principio, quo est, non quo producitur, nomine autem originis non intelligimus, nec intellexerunt auctores prædicti relationem in facto esse significatam nomine originis, qualis est relatio geniti: hæc enim eadē omnino est cum relatione filij: filius enim, & genitus synonyma sunt sicut gladius & ensis: sed intelligimus relationem per modum viæ, quæ significatam nomine generationis, & generari. Et de hac recte diximus, non esse formam constituentem, & distinguentem personam.

At dicunt aliqui, relationes & origines non distinguuntur, neque ratione, sed solo modo significandi: id quod non minus falsum est: primum, quia nihil potest ab alio differre ex modo significationis, nisi

si etiam ratione & conceptu differat. Cum enim significatio sit, quæ facit aliquid cognosci, eadem erit significatio, quæ idem omnino facit cognosci, & tunc erit diuersa, cum efficit diuersos conceptus in mente. Quod etiam supra notati disp. 12. 6. alioqui relationes & origines erunt synonymæ, nisi quis dicat differre, sicut definitio differt à definito & expressum ab implicito: quod hic locum non habet.

Præterea, quia alio modo concipitur à nobis generari, & genitum esse, sicut moueri, & motum esse: ergo non est idem conceptus originis, quæ est generari, & relationis, quæ est genitum esse. Alioqui, sicut dicimus, filius procedit per generationem, diceremus etiam, procedit per filiationem, quod est absurdum: ergo sicut dicimus, personam procedere per generationem, & non per proprietatem relationem: sic è contrario dicemus, filium constitui filiatione, non generatione passua, de origine autem actiua non minus facile idem probari potest, quia principium constituens personam, quæ producit, debet intelligi per modum actus primi, non per modum actus secundi: at origo intelligitur per modum actus secundi: ergo non potest esse principium personæ producentis.

Quod si dicas, originem tam actiua, quam passua conceptam per modum originis tantum in vniuersum; esse solum viam; conceptam tamen ut particularem, esse formam per se subsistentem: huic etiam obstat ratio manifesta, nam via ut viæ, quantumvis intelligatur aliquo alio determinata, semper est formaliter in nostro conceptu, ut viæ, & ut actus secundus, non ut primus: id autē, quod constituit, per modum actus primi debet concipi.

Argumentum autem Bonau. disput. seq. cum argumentis Scoti soluitur. Nunc vero solum superest obseruandum, patres aliquando indiscriminatim distinctionem personarum assignare per origines, & per relationes. Dicunt enim patrem distinguere à filio, quia pater est, & filius, quia genit: & de filio similiter, quod utroque modo recte colligatur differentia. Non enim negamus, ex origine colligi differentiam producentis personæ & productæ; nam ex oppositis originibus oppositæ quoque resultant relationes; sed tantum asserimus originem ipsam, sub conceptu formali originis, non concipi ut principium constituens, & distinguens per modum formæ inherens, quod videtur esse proprium talis principij; ceterum non negamus, originem esse viam ad constitutionem. Et ideo Ambros. lib. 1. de fide ad Gratum cap. 2. Fulg. lib. 1. de fide ad Petrum cap. 1. Athanas. in dialog. 1. de Trinitate contra Anomæos, Ricardus de S. Victore lib. 4. de Trinitate. c. 15. distinctionem & pluralitatem personarum ex originibus colligunt, cum quibus consentit Bessarion in oratione pro vniione Græcorum & Latinorum cap. 6. post medium, quæ habetur post Concilium Florent. At vero nullus dixit originem esse principium formale distinctionis: hic enim modus loquendi, & controuersia de hac re solum est Scholasticorum Theologorum: & multo minus Patres asserunt, principium constituens personam esse originem, de hoc enim non loquuntur. Quod vero nonnulli asserunt, idem esse principium constituens & distinguens, falsum est, ut colligitur ex disp. 147. cap. 7.

De origine actiua etiam probatur.

Responsio quorundam occurrunt.

19.

Ambros. Fulgent. Athanas. Ric. Vict.

Bessarion.

26.